Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

debuat. tanta sunt mala iminere prouidentes aut uitare uoluerunt. sed non potuerunt. et erant miseri. aut potuerunt et noluerunt. et stulti erant. et maligni. Si autem nescierunt. ceci erant. neque agnouerunt quo pergerent. et in contingens ac fortuitum miserunt pedem. ut ultra procederent quo nesciebant. Et uidetur quidem aliquid absurditatis afferre si hic dicatur. et melius uidetur. et aptum esse magis ut scientes dicantur eorum que futura fuerant. Et repugnat tamen alia ratio quam supra posuimus. et potest facile intrantibus infirmis scandalum nasci in alterutro non conueniat.

Propterea hic dicimus quod non erant prescii euentus sui. neque eis data est cognitio eorum que futura erant super eos. quoniam non oportuit ita. ut liberam haberent electionem uoluntatis sue sine terrore et spe in utroque. propterea monstratum est eis quid faciendum esset. non quid futurum esset ut nulla necessitate prouidentie impelli uidentur. sed ratione dirigi. et propria deflecti uoluntate in ambobus. et ita bonum fuit et conueniens. et non est sic reprehensione dignum opus dei. quia ita fecit ut bonum fuit.

Quales conditi boni uel mali. iusti an iniusti. beati an miseri. xviiii.

Sed et multa alia querunt de illa natura spirituali. que curiositatis humane intentionem quieta esse non sinunt. Interrogant si boni fuerunt uel mali conditi angeli. iusti uel iniusti. beati an miseri. Et fortassis alia quedam his similia. Et que multa sunt alia que in questione coaceruantur. non possumus nos ad omnia plura responsione occurrere. sed breuiter diffinimus. quoniam est in illo primo principio et exordio inchoationis quod humana consideratio ita breue et momentaneum simplicisque instantis sine mora et interuallo primo subsistentie de nichilo in aliquid apparentis accipiat. ut id quod primum omnium illic erat intelligat. Hoc solum inuenitur in conditione quod natura constituit conditionis. Quod enim ceperunt totum acceperunt. et non potuit in illis ex illis acquisitum esse. quoniam omne quod ex illis est. posterius est illis. Itaque omne quod facti sunt non fecerunt. sed tantum facti sunt. et quod facti sunt. boni facti sunt totum. Si enim quod facti sunt mali facti sunt. culpa est facientis non facti. quia aliud esse non poterant. neque facere ipsi cum facti sunt tunc ut aliud essent quam facti sunt. Itaque ex faciente erant quod primum erant. totum quod erant et acceperant totum quod erant. et a se nichil habebant. quia et hoc quod erant ex nichilo erant. et a creatore acceperant quod erant. Hic potuit a creatore optimo auctor mali esse. et ideo totum bonum erat quod ex ipso illis erat. et totum bonum erat. quoniam ex ipso totum erat. Hic modo probamus quoniam boni erant angeli quando primum facti sunt. et quod boni facti sunt omnes. quoniam a bono facti sunt. quem malum facere non potest. Sic itaque boni erant. et non mali. et quemadmodum boni erant. ita et iusti erant. et beati erant. sed ea bonitate et iusticia et beatitudine quam natura incipiens acceperat. non quam fecerat ipsa. uel meruerat faciendo. Si enim boni dicuntur. boni erant. quemadmodum boni erant. quod boni facti erant totum. Et si meliores erant sicut erant. meliores erant pro eo quod facti erant. non pro eo quod fecerant ipsi. uel faciebant. Sic et quod iusti dicuntur. solum hic illis erat iniustos non fuisse. et quod beati non miseros extitisse. Verum tamen neque ad meritum. neque iniusti ad culpam.